



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quomodò excitanda sit misericordia erga mortuos. Cap. XVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)



in exordio orationis de amandis pauperibus, auditores omnes appellat pauperes, & egentes gratia Dei: & S. Chrysostomus sermonem scripsit, quo ostendit, curiosè nō esse scrutandum, boni an mali sint pauperes. quod cū optimus quidam vir animaduertisset, dicere consueuerat, se aliquanto libentiùs prauis hominibus eleemosynas largiri, si fortè ea ratioe eo beneficio, quo, teste conscientia, se indignos agnoscunt, dent gloriā Deo, & ad pœnitentiam erudiantur. Multa sanctorum patrum leguntur orationes de eleemosyna, in quibus præclaræ cohortationes reperiuntur. Locorum aut hæc est summa, omnes esse pauperes, omnes egere misericordia Dei, solos tamen illos esse miseros, qui carent misericordia: artem quaestuosissimam esse eleemosynam, misericordia filiam, licitam & sanctam quandam fœnerationem, distributionem pecuniarum in pauperes: diuites auaros esse, fraudatores, raptores: quo quis plures habet filios, eo diligentius eleemosynis ei inuigilandum; ut propitium Deum eis efficiat, ut S. scribit Cyprianus. illud etiam B. Ambrosii est inculcandum: Non pauisti, occidisti: et illud repetendum, mandasse Dominū unicuiq; de proximo suo: eius esse terram, & plenitudinem eius, orbem terrarum, & vniuersos, qui habitāt in eo; diuites esse dispensatores diuitiarum Dei; eleemosynam peccatum extinguere, maximum esse beneficium, ut inquit Cyprianus, tam salutare, & tā facile nobis relictum remedium.

Quomodò excitanda sit misericordia erga mortuos. Cap. XVII.

**M**IRABILES etiam sunt quidam mortui, nimirum illi, qui in Purgatorio degunt: quorum sordes,



*Sordes, hoc est, ea peccata, quæ iusta pœna & satisfactiõe prorsus deleta non fuerunt Purgatorio, hoc est, vt D. Augustinus scribit, emendatorio igne, purganda sunt. Aduersus eos excitanda est misericordia nobilissima, et vere Christiana commoio: vt qui audiunt, non solum misereantur animæ suæ, quod misericordiæ est caput, & eorum, qui viuunt, auxilio egentium; sed misereantur etiam mortuorum, egentium maximè suffragijs nostris, sanctis sacrificijs sacerdotum, orationibus, ieiunijs, & eleemosynis, vt remittantur eis pœna, & ab illa, in qua sunt calamitate, liberentur: superat enim, vt sancti homines scripserunt, ille dolor, illa calamitas omnes miseras, quibus humanum genus cruciatur. Hic autem locus commodissimè tractari poterit eo die, quem oratiõibus pro mortuis sancta Ecclesia dicat, & accommodari poterunt illa verba Iob: Misere mini mei saltem vos amici mei, quasi parentes mortui, atque etiam aui & attau, illas voces è loco Purgatorij emitte videantur.*

Qua ratione excitandi sint auditores ad timorem. Cap. XVIII.

**T**IMOR, est dolor ad malũ imminens: omnia imminēt mala non timentibus Deum. timere autem Deum, est nihil eorum, quæ genda præcepit, omittere, vt S. scribit Gregorius: ad quem excitandũ, hi loci erunt aptissimi: time ndum Deum, quia omnipotēs, quia iustus, quia Dominus: Omnipotens dixit, & facta sunt: creauit verbo omnia, eaq; tuetur ac regit. Iustus rerum ordinem non patitur perueri, honorem sibi adimi non permittit.

H

Ciuita-